

Dissertatio physica inauguralis, de fontibus / [Johann Heinrich Amelung].

Contributors

Amelung, Johann Heinrich.
Waldschmidt, Johann Jakob, 1644-1687.
Philipps-Universität Marburg.

Publication/Creation

Marburg : J.J. Kürsner, 1683.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/eexwnxpd>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISSERTATIO PHYSICA
INAUGURALIS,
DE
FONTIBUS,

Quam

*Affidente Triunius gratiâ atq; auxilio
CONSENSU*

AMPLISSIMÆ ET CELEBERRIMÆ

**FACULTATIS PHILOSOPHICÆ IN IL-
LVSTRI HAC ACADEMIA,**

P R A E S I D E

VIRO EXCELLENTISSIMO & EXPERIENTISSIMO

DN. JOH. JACOBO
Waldschmied /

**ARCHIATRO HASSIACO, MEDICINÆ
DOCTORE, Ejusdemq; PRIMARIO & PHY-
SICES PROFESSORE ORDINARIO,**

*In Auditorio Philosophico quod est ad Nudipedes ad D. 31. Januarii.
ad capessendum*

Gradum Magisterii

Publicè ventilandam exhibet

JOH. HENRIC. AMELUNG,
HOVE-GEISMARIA HASSUS.

MARBURGI CATTORVM.

Typis JOH. JODOCI KÜRSNERI, Acad. Typogr.
ANNO MDCLXXXIII.

DISSESTATIONE PHYSICA
IN CINERARUM

36

DISSESTATIONE

in CINERARUM

et de CINERARUM CONSERVATIONE

ET CINERARUM CONSERVATIONE

FACULTATIS PHILOSOPHICAE IN II.

LATERI HAC ACADEMIA

PARVUS

URBECCHINISIMO ET EXCELSISSIMO

DNI. IOH. AGOBO

DISSESTATIONE

ARCHIATRO-HISTORICO-MEDICO

DOCTORI. F. M. P. PRIMARIO RHY-

SICIS IMPRESORI OPUSCULIO

ANNO MDCCCLXVII. TYPIS ET SVIS
AD COPIAM

CHRISTIANI M. DISSESTATIONE

JOHN HEDRIC. AMELIUS

MDCCCLXVII. HABENS

JOHN HEDRIC. AMELIUS



Feliciter!



Vando mentis oculos in hanc
rerū universitatem omniumq; in ea
pulcherrimam seriem & admiran-
dam singulisq; suis partibus absolutā
perfectionem conjicio, non possum
non magnalia Dei pleno ore depra-
dicare, magna que delectatione per-
fundit; quis enim non demirabitur
statas temporum vices ac revolutiones, ibi videmus quomodo
una anni pars alteram excipiat, postquam aspera hyems tran-
siit, qua homo aestivo labore defatigatus ad quietem se compo-
nit; mox amœnum suaq; suavitate desideratum ver sequitur,
quo homo novis viribus instructus, claustris, quibus ante de-
tentus, evadit ac sueta commercia tractat, inde calida aestas
& demum fertilis autumnus vices suas observant, quibus,
quod vorax hyems absumit, sedulo conquirimus. Quem non
in sui admirationem rapiet, qui Philosophorum ingenia hacte-
nus acuit & fatigavit, aestus maris? quid dicam de fluxu flu-
viorum & aquarum circulari, ejusq; variis effectibus, quos in-
ter non minimus est Origo Fontium, quam ut scitu necessariam
cum penitus cognoscendam selegerim, Te B. L. rogatū velim,
ut si ex aſſe tibi non satisfecero, monitorē non acrem repre-
hensorem agere velis. Supremum interim Numen aſſistat, ma-
nus interfebriles aestus vacillantes confirmet, calamūq; dirigat!



THESIS I.

Non absque ratione doctissimus Cicero lib. i. offic. ait: Omnis quæ de aliqua re à ratione suscipitur institutio , debeat à definitione proficiisci , ut intelligatur , quid sit de quo disputatur. Hinc ego operæ pretium duxi, antea quām ad rem ipsam descendam , materiæ de qua dicturus sum, definitionem præmittere ; Sunt itaque Fontes scaturigines aquæ , calore subterraneo per terræ rimas elevatæ , ac in superficie frigore collectæ , indeque vi quadam ebullientes , Greyd. instit. phys. l. 3. c. 7.

THESIS II.

Fontem à fundendo derivare volunt, quòd aquas interram fundat, hoc quidem non adeo absonum , mihi tamen potius curæ est , relicta curiosa vocabuli derivatio-ne , ad propositæ materiæ naturam & conditionem majo-ri cum fructu discedere,

THESIS III.

Ubi primo statim intuitu se diversæ offerunt Philosophorum sententiæ , quid aquam ascendere faciat ; alii enim tribuunt terræ facultatem fugendi atque ad summos vertices aquas alliciendi ; alii putant aquam maris terram altitudine longe superare , qua propter ad suæ originis altitudinem contendat ; sed neutra harum satisfacit, illa quidem , quod ne quidem speciem aliquā veritatis habeat, hæc vero , quia naturalem quandam inclinationem statuere videtur , quam ipsi merito denegamus , quæ enim causa est , cur aqua sponte & quidem contra naturam in altum assurgat , cùm certum sit , dari in terra continentemontes,

montes, quales sunt Alpes, montes Pyrenæi &c. quorum altitudinem mare haudquam adæquat, & tamen absq; dubio fontes ibidem prosilient. quòd si verò intelligat impetuosum aquæ marinæ decursum ejusque gravitatem facere, ut aqua sursum tendat, non adeò alienus ab ipsa essem, cùm videamus miram in canalibus aquaticis aquæ ascensionem, cuius causa jam dicta est.

THESIS IV.

Sed securiores erimus si cum pluribus Philosophis ad ignem subterraneum utpote scaruriginis aquæ & fontium causam recta abeamus; Aqua enim ex vastissimo oceano in terræ cavitates & tortuosos meatus delapsa propria sua inclinatione ad terræ superficiem non deveheretur, nisi externum quid id ipsum causaret, ignis namq; aquas in vapores resolvit, eosque ad extrema montium & terræ superficiem deducit, ubi, cessante sensim calore illo subterraneo, vapores à frigore congelantur, inque sensibiles partes coalescunt, quemadmodum olla aqua repleta & igni apposita ebulliens aquam in vapores resolvit, qui in operculo collecti iterum aquam constituunt; quod de hyeme videndum se præbet, ubi rustica plebs de longinquο accedens barbas pruina & frigore madidas & obrigescentes veluti ex senio naestas secum asportat, cuius ratio alia non est, quàm quod halitus ore emissi ad barbas colligantur, ibidemque vi frigoris collecti ejusmodi speciem induant.

THESIS V.

Nemo quoque erit, qui ignem ejusmodi subterrancum dari facile negabit, patet enim exinde i. quia homines qui ejusmodi fontium venas scrutantur, matutino tempore ante solis ortum oculos humi desigunt, attendentes,

nunquid tenuis vapor eo loco exhalet, quo perspecto statim ominentur de præsentia aquæ subterraneæ; 2. videre licet in montibus ignivomis, quos inter sunt Hecla in Islandia, Ætna in Sicilia & Vesuvius in regno Neapolitano, qui ignem sæpe & favillas tanto impetu eructant, ut campos longè diffitos inundent, & proxime habitantes obruendo de vita periclitari faciant.

THESIS VI.

Dubitet verò quis unde hic ignis pabulum suum habeat, sed experientia comprobat, intra interiora terræ viscera sulphur & bitumen contineri, ex quibus multæ semper exhalationes feruntur, quæ si cryptis subterraneis occurrant, earum fornicibus adhærent, atque ita ad instar fuliginis caminis se affigentis crustam quandam gignunt flammæ concipiendæ maximè idoneam, quæ flamma inde potest excitari, quia partes illius crustæ, quæ perpetuo accessu tandem in magnam molem excrevit, præ nimia gravitate decidunt, quo in casu ex illarum attritione ignis elici potest; vel si lapis ex cryptæ fornicē decidat & in decidendo alium lapidem allidat, quæ allisio facit exilire scintillas, nam cognitum satis est, quomodo ex afflictione duorum corporum durorum ignis excutiatur, ita ut sæpe molendinæ hoc modo jacturam faciant & in cineres redigantur.

THESIS VII.

Postquam peripeximus quid aquam in altum ducat, digredimur ad alia, quid materiam fontibus suggerat visuri: distinguendum verò prius erit inter fontes perennes, qui perpetuò aut saltem longiori tempore durant, & illos, qui tempore verno quidem fluunt, media verò æstate citius exarescunt, alibi vocantur Hunger-Brunnen; Horum

Horum materiam præbere possunt aquæ pluviales vel nivales hyberno tempore in unum locum confluxæ, quibus deficientibus, hujusmodi fontes quoque deficiunt, hoc exinde magis confirmatur, quod ejusmodi fontes nunquam aut raro saltem sulphureas, nitrosas, aut alias id genus parriculas ex terræ mineris dilutas secum vellant, adeoque hinc colligere planum est, hanc aquam per angustas terræ mineras non defluxisse. Illi vero majorem molem sibi deposita, qui semper & largiter aquas exonerant, nam pluvia quidem potest facere torrentem, non autem fluvium altis undis continenter labente, hic igitur aliam materiam, quæ aleundis fontibus sufficiens sit, præter aquam marinam statuere non possumus, licet non pauca obstant, quæ hanc assertionem destruere videntur.

THESIS VIII.

Quæret enim aliquis, quod si fontes ex mari originem suam habent, tunc fontes parem quoque cum mari fluxum & refluxum patientur, qualis enim causa talis effectus? Ad quod regero, licet fontes ex Oceano proveniant, hoc tamen non impedire, quo minus paria cum illo accidentia sustineant, aqua enim marina ad sinuosos & præruptos meatus & circuitus delapsa atque tot centena milliaria emensa, alibi quoque restagnans, adeò cito relabi non potest, ut sensibilem in fontibus simul mutationem inducat, quanquam hoc non negarem, in fontibus Oceano vicinis fluxum & refluxum animadverti posse; hoc tamen sententiæ nostræ non derogat, quandoquidem mari æstum paciente sive defluente quod singulari vocabulo Ebbe exprimunt, aqua quæ fontes constituit, derepente recidit, adeoque non potest non fieri, quin fontes

fontes arescant, quod idem non sit in illis qui longissime à mari dissipati sunt, antequam enim aqua omnis relabatur, (ponamus per acclivia terræ juga recurrere posse) tantum tempus absumeret, ut ea vix ad dimidiam partem regressa, aqua marina rediret, & regressionem aquæ subterraneæ inhiberet.

THESIS IX.

Praterea contrariari huic sententiæ videtur aquæ fontanæ dulcedo, quis enim ignorat, quod falsedo ab aqua marina vix aut ne vix quidem haec tenus separari potuerit? idcirco absque arte, relicta sibi natura, ab illa divelli posse dubitabis; Verum absit mireris hunc naturæ effectum, cum ea hoc in casu artem maximè superet, cogitandum enim est, aquæ ut aquæ has qualitates non competere sed aliunde provenire, videlicet ab intermixtis particulis salinis iisque rigidis; jam quando aqua marina per angustas admodum vias & tenuiores terræ rimas labitur, aqua quidem quippe constans particulis flexibilibus & lubricis facile perrumpit, particulis salinis ut rigidiорibus & ad defluxum ineptis à tergo relictis, ad modum serpentum, qui quando exuvias ponere volunt, angustum foramen transeunt, sicque cutem exuunt.

THESIS X.

Quod verò aliqui fontes falsedinem non deponant, id sit aut ob viciniam maris, quod aqua marina brevi hoc cursu particulas rigidas avellere non potest, aut propter rimas quodammodo patentiores, si inius mare vicinum fuerit, aqua illa inter currendum mineras salis alluit, à quibus aliquid abrasum secum abducit.

THES. XI.

(9)

THESIS XI.

HUic sententiæ, quod fontes ex Oceano aquam hauriant, patrocinatur quoque Sacra Scriptura, quando *Eccles. 1.7.* dicitur, unde aquæ defluunt, illuc quoque refluxunt; & ratio postulat, si quando enim Oceanus omnes in se devolutas aquas retineret, magis ac magis intumesceret, & tandem ruptis littoribus continentem inundaret, quod tamen divina providentia fieri prohibuit, unde positi sunt limites quos excedere non potest. *Gen. 1. Ier. 5, vers. 22. Job. 38, v. 8.*

THESIS XII.

Ludit quoque natura in hoc, dum plures fontes in montosis regionibus & altissimis rupibus quam depressoibus ac humidis locis progenerat, apparet hoc nobis difficilius, etenim si aqua in locis humilioribus prorumperet, tam gravi nisu alta montium juga descendere opus non esset, sed quem ad modum fluvius sequitur suum alveum, ita & aqua sub terris latitans ductus & flexus naturæ sequi debet; insuper quoniam loca humida poros latius patentibus, unde vapores transvolare possunt, particulæ quoque istæ condensari & colligi nequeunt, loca verò editiora ut plurimum strictas habent fissuras, quæ particularum transitum denegant & sufflaminant, adeoque collectis aquis fontium feraciora sunt.

THESIS XIII.

Quanquam nunc certo constet, fontes ex Oceano egredi, atque ab eo longè dissitos aestum maris non persentiscere, reperiuntur tamen & quidem in Sabaudia, qui citra ullum ordinem aestuant, cuius causam

non tam in aestum maris, quam in copiam vaporum nunc
majorem nunc minorem rejiciendam existimamus.

THESIS XIV.

Qued verò fontes non eandem ubique habeant ma-
gnitudinem, ratio dari potest, quod ignis subter-
raneus eò loci adeo fortis non sit, ut particulas aquas
resolvere, tantamque copiam effundere queat, vel si
mavis, ductus & mæandros subterraneos non esse
ubique ejusdem magnitudinis, creditu quippe facile,
majorem ibi latere aquarum copiam, ubi ingentes fluvii
effluunt, quam ubi parvus aliquis puteus nascitur.

THESIS XV.

Quidam fontes magno cum stridore & murmure
erumpunt, ut eorum quoque aures, qui non adeò
prope adsunt, feriant, quales sunt acidulæ Pyrmontanæ
& Wildungenses; cuius rei vatiæ possunt esse causæ, pri-
ma est aquæ collectæ copiæ, secunda, terræ cavitas con-
tinendæ aquæ impar, unde latius spatium, quo conti-
neatur, querit, tertia, plurium rivulorum concursus qui
exitum sibi querunt, & vehementiorem eruptionem
producunt.

THESIS XVI.

VT itaque eadem omnium fontium origo & mate-
ria, sic qualitates eorum sunt longè diversissimæ,
mox enim calidi, qui Thermarum seu Balneorum no-
mine veniunt, prosiliunt, mox acidulæ, quæ quoties
prodeunt, toties qualitatibus variant, cuius causa non
nisi in varii generis particulas refundenda est.

THES.

(II)
THESIS XVII.

Thermarum enim (quas non adeò procul abhinc conspicere licet) calorem aliunde non derivamus, quàm quod ignis subterraneus eò loci vim suam satis fortiter exserat, ita ut à frigore particularum ignearum motus inhiberi non possit.

THESIS XVIII.

PAriter se habet cum Acidulis, quæ alluentes varias terræ interioris mineras earundem particulas secum rapiunt, adeoque pro harum diversitate Dd. Medicinæ ægrotis usum earum suadent aut dissuadent. Incidit hic sanatio Naëman, cuius in sacris mentio fit, quæ an naturaliter vi Jordanis, ut in aliis observamus, facta sit, an verò planè fuerit miraculosa controvertitur; dicerem tamen, si hujus rei decisio à me exquireretur, posterius vero similius videri, alias enim quilibet lepræ obnoxii & Judæi & Gentiles hanc medicinam promiscuè adhibere suiq; restitutionem sibi promittere potuissent, quo ipso leges de leprosis latæ *Lev. 13. vers. 14.* supervacaneæ fuissent, sed ex eo potius factum hoc esse putem, ut Dei omnipotentia, cui omnia inservire debent, elucesceret; ordo agendi nobis innotesceret, falsique & fictitii Gentilium Dii pudefierent, sed hæc ad Theologos.

THESIS XIX.

Præter dictas species notum quoque est, dari fontes, qui injecto corpori lapidescentiam inducunt, in quibus particulæ lapideæ & terrestres prædominium obtinent, quæ si poris ingestæ corporis semet insinuant, post aliquod temporis intervallum illud ita immutant,

ut non nisi pro lapide propter duritatem & gravitatem censendum sit.


THESES XX.

DUratio fontium est indeterminata , cursum suum absolvunt , quo usque ipsis materia præbetur , qua si destituantur , & meatus ductusque obstruantur , non potest non fieri , ut esse desinat ; alii verò quanquam aquis abundant , ipsorum tamen vires qualitatesque immiuuntur , quod si enim omnes ejusmodi vires suppeditantes particulas absorperint , tandem simplicem aquam sequi necesse est ; quod apparet vel maximè in Acidulis , quæ per aliquot annos vires suas constanter retinentes illas iterum aut ex toto , aut saltim magna ex parte deponunt , quibus accenseo illas , quæ patriam meam ante decennium præterpropter celebrem & famosam fecerunt.

THESES XXI.

Tandem deveniendum nobis erit ad varium Fontium usum , sed quām varius ille sit cum nemini non innotuerit , labor incassus foret , multis id ipsum demonstrare . Adoremus potius divinam clementiam , quæ ut in aliis sic quoque in his se nobis testatam fecit , & omnibus largiter prospexit ; Rogemus eum qui se Fontem Vitæ vocat , ut per Spiritum suum Sanctum sapientiæ rivulos in nos diffundat , quo recto tramite ad veram vitam ducente incedamus , donec perveniamus è quo non ex parte , uti in hoc mundo , sed perfectissimè omnia cognoscemus . Hoc faxit DEUS T. O. M. cui pro concessis ad hoc qualemque opus perficiendum viribus sit laus & gloria .

COROL-



COROLLARIA.

I.

*F*acilis est conciliatio Peripateticos inter eū
Cartesianos, quorum illi pro principiis
Physicis venditant, Ignem, Aerem, Aquam
et Terram, hi verò particulas primi, secundi
et tertii elementi, dummodo Aquam et
Aerem pro uno eodemq; sumamus elemento.

II.

*E*x dispositione corporis humani mechanica
omnes ejus actiones explicari posse existimo.

III.

*Q*uod si hæc corporis dispositio sit corrupta
et debitas functiones perageret non potest, cor-
pus dicitur morbosum.

IV.

*A*strologia judiciaria fallibilitatis nimium
est suspecta.

V.

*A*micitia jura non postulant, ut conjura-
tiones contra Principem reticeantur.

B 3

VI.

*Gradus connubii, qui prohibentur, Levit.
18. non sunt de jure naturæ vetiti.*

VII.

*Definitio Rationis status, quando dicitur:
Lex Principum legibus divinis & humanis
plane contraria ob solam utilitatis speciem, est
rejicienda.*

VIII.

*Non absolvō Pipinum à crimen laſa maje-
statis, quando Childericum tonsuram in mona-
sterium detrusit.*

IX.

*Romanum Imperium dicere feudum Papa-
stolidæ temeritatis est.*

X.

*Fures hereditarii non habent quo excusent
furta, siquidem inclinatio ad ejusmodi actus
in iis est sed non necessitas.*

XI.

*Nullares hodie substantialiter de novo crea-
tur, sed nova tantum modificatio inducitur.*

XII.

*Excepta autem hic volumus animam ra-
tionalem.*

PEREXIMIO

DOMINO CANDIDATO

Pro Gradu MAGISTERII disputanti,

gratulatur

PRÆSES.

Dulcissimis ex ipso fonte bibuntur aquæ: Laudem itaque
mereris Pereximie DN. CANDIDATE, quod aquæ
ductus rimaturus eos accesseris fontes, è quibus limpidioris
sapientiæ præcepta hauriuntur, his imbutus plura re-
cludis quæ vel sepulta vel caligine involuta hactenus ja-
cuere. Ego de laudabili tuo proposito hisce gratulor, & à
Fonte omnis vitæ & salutis Tibi constantem appreco val-
letudinem, qui non ita pridem sub mea cura febri maligna
graviter decubuisti, sic exoptatum rerum tuarum succes-
sum nunquam non videbis. Vale!



ADsit fons fontis vitæ de fonte docenti,
Musarum fontem funditus ac referet!

Sic appreccatur amico amicus

M. Beete.



Scutaris fontes, nimirum diligis undas,
Undas, quas præbet sedula Musa Tibi.
Rimaris fontes, miraris quippe benignum
FONTEM Naturæ, à quo bona cuncta fluunt.

Hic,

Hic, precor, ergo tibi faveat, tua cœpta secundet:
Et Tibi de vivæ fonte ministret aquæ.

In honorem Pereximii atq; Doctissimi DN. CANDIDATI, Commensalis & Amici suavissimi hæc pauca apponere voluit

JOHANNES BORNMANNUS, S. Th. Stud.

Nunc resonas voces geminatis plausibus edo,
Cùm disceptantem lumina nostra vident.

Audio dum blandam vocem *Constantis Amici*,
Lætitiâ pectus venaque tota salit.

Morbi dum memini, validas qui corpore vires!
Decerpit, propè jam Cymba Charontis erat.

Casibus his præsens quis non dixisset, Amice,
Opprimet hunc morbus! jam moriturus erit.

Certè quis mortem non affirmasset in ollâ,
Inspiciens vitam casibus usque premi.

Ergò ne tales ullo tibi tempore posthac
Amplius eveniant, *Suavis Amice*, precor.

Et bene! post morbum florescis itemque vigescis,
Palladis in Cathedrâ nunc quoque victor ovas.

Sic virtus premitur, sed non submergitur unquam
Unda licet flamas, det licet ignis aquas.

Hoc de *Fonte* probat tua dissertatio præsens
Quilibet hinc dicit, te tetigisse scopum.

Apprecor ergò, Deus, nutu qui temperat orbem,
Dirigat ut linguam *Dulcis Amice*; tuam:

Et repleat sancto solerter lumine mentem
Hostibus ut victis læta trophæa feras.

Hæc paucula gratulabundus adjecit

CONRADUS SCHENCKELIUS, S. S. Theol. Stud.